Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



AD CHORIN

nitatem quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori noli querere uxorem solutam. Solutus es ab uxore noli querere uxorem. Si autem accepis uxorem non peccasti. Et si nupserit uirgo non peccauit. Tribulationem carnis tamen habebunt huiusmodi. Ego autem uobis parco. Hoc itaque dico fratres tempus breue est. Reliquum est. ut et qui habent uxores tamquam non habentes sint. et qui flent tamquam non flentes. et qui gaudent tamquam non gaudentes sint. et qui emunt tamquam non possidentes. et qui utuntur hoc modo mundo tamquam non utantur. Praeterit enim figura huius mundi. Volo autem uos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est. sollicitus est quae domini sunt cogitare quomodo placeat deo. Qui autem cum uxore est. sollicitus est quae sunt mundi. quomodo placeat uxori. et diuisus est. Et mulier innupta et uirgo cogitat quae domini sunt ut sit sancta corpore et spiritu. Quae autem nupta est cogitat quae sunt mundi quomodo placeat uiro suo. Porro hoc ad utilitatem uestram dico non ut laqueum uobis injiciam. sed ad id quod honestum est. et quod facultatem praebeat sine impedimento dominum obsecrandi. Si quis autem se turpem uideri existimat super uirgine sua quod sit super adulta et ita oportet fieri quod uult faciat non peccat si nubat. Nam qui statuit in corde suo firmus non habens necessitatem potestatem autem habens suae uoluntatis et hoc iudicauit in corde suo seruare uirginem suam bene facit. Igitur et qui matrimonio iungit uirginem suam bene facit et qui non iungit melius facit. Quamdiu alligata est legi quanto tempore uir eius uiuit. Quod si dormierit uir eius liberata est. a lege uiri. cui uult nubat. tantum in domino. beatior autem erit si sic permanserit secundum meum consilium. Puto enim quod et ego spiritum dei habeo.

DE his autem quae immolantur idolis scimus quia omnes scientiam habemus. Scientia inflat. caritas uero edificat. Si quis autem se estimat scire aliquid nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire. Si quis autem diligit deum hic cognitus est ab illo. De escis autem quae idolis immolantur scimus quia nihil est idolum in mundo. et quia nullus deus nisi unus. Nam et si sunt qui dicantur dii. sive in caelo sive in terra. siquidem sunt dii multi et dominii multi. nobis tamen unus deus pater ex quo omnia. et nos in illo. et unus dominus iesus christus. per quem omnia et nos per ipsum. Sed non in omnibus est scientia. Quidam autem conscientiam idoli habentes usque nunc quasi idolo immolatum manducant. et conscientia eorum cum sit infirma polluitur